

Protractam, pulchreque politam, aut vertice flavo,
 Aut niveo sponsæ collocat in digito:
 Illa micat, flammisque, aut Soli obversa nitore
 Spectantum irritat lumina fulgidulo.
 Cui similem nunc te nemo non gaudet, Abundi,
 Publica produci ad munia, & eximio
 Augeri, tua quo virtus clarescat, honore,
 Nota magis posthac omnibus atque magis.
 Quippe tuus, qui te dulci complexus amore
 Diligit, inque ipsis fert oculis, Patruus,
 Miratus moresque tuos, atque acre juventæ
 Surgentis primo in limine iudicium,
 Cultumque, ingenuasque artes, studiumque juvandi
 Rem Latiam, atque hominum, qua patet, omne genus,
 Non tulit indecori privatum degere in umbra,
 Et tibi te soli vivere; sed populis
 Jura dare, atque alta Capitoli ex arce parare
 Multa suis jussit commoda Romulidis,
 Et primum dixit civem, priscique Senatus
 Et sedem, & clarum nomen habere dedit.
 Di tibi Nestoreos dent annos, di tibi, Clemens,
 Aurea, quæ condis, sæcla videre diu,
 Tam clarum cupidæ juvenem quod præficis urbi.
 Hoc sibi collatum martia Roma decus
 Agnoscit, gaudetque; suos nec jam illa Camillos,
 Nec meminit Marios, Scipiadas, Fabios,
 Invictosque Catones, aut si quos magis hisce
 Mirata est olim curia sancta patres:
 Curia concilio regum illæc nobilis, unde
 Jura sibi reges sceptiferi, & domitæ
 Armorum horrifico gentes terrore petebant
 Memnonio longe ab littore ad hesperium
 Littus, Maurorumque a finibus Atlanteis
 Meotim, & montes usque ad hyperboreos.